

Quod vero ad disciplinam asyli attinet, utriusque ordinis spiritualis et temporalis interest simul, et videtur reponenda inter res mixtas. Potestati quidem spirituali cura et jus incumbit tuendi sanctitatem templi, ne profanetur; negari non potest quin etiam magistratui sæculari incumbat cura et officium providendi ne malefactores abutantur beneficio asyli, in detrimentum aliorum et perniciem ipsius societatis. Quid, si tempore perturbationum politicarum, conjuratores in templo convenirent ad moliendum insidias et bella contra rempublicam?... Cum itaque ad utramque auctoritatem, sub diverso respectu, hæc materia spectet, mutuo consensu componitur. Inito concordato, princeps sæcularis non debet a conditionibus stipulatis, pro arbitrio, recedere; lege enim naturali, et jure gentium, pacta observari jubetur.

Non assentimur canonistis qui disciplinam asyli referunt inter negotia quæ ab arbitrio principum solummodo pendent; sunt quippe, ex modo dictis, immunitates locales sub certo respectu juris etiam Pontificii, nec proinde illis aliter derogari debuit quam inito consilio cum Apostolica Sede. Animadvertendum tamen quod licet principes non potuerint propria sponte revocare privilegia Ecclesiarum, illorum edicta occasionem dederunt novæ ordinationi rerum, quæ labentibus annis, et tacite assentiente Sancta Apostolica Sede, consuetudinem invexit. « Hoc « habent, ait Schmalzgrueber, omnes leges quæ non jure naturali, aut divino positivo, sed humano solum Ecclesiæ vel civili « sunt inductæ, ut tolli per consuetudinem legitime præscriptam « possint, quare igitur non etiam lex concedens hanc immunitatem? » (Loco citato, n° 100.)

ARTICULUS II. — DE CÆMETERIIS.

566. — Cæmeteria (græce κοιμητήριον, a verbo κοιμάω, dormio) sunt loca destinata sepulturis; apud christianos autem sunt sacris ritibus sanctificata.

Jure veteri Romanorum, et principum etiam christianorum edictis, olim cautum erat ne sepulchrum mortuis concederetur intra civitates, quod impedimentum fuit per aliquod tempus ne christiani sepelirentur in templis urbanis. Plures tamen, lege non obstante, suam sepulturam in Ecclesiis, nedum extra urbes sed in ipsis urbibus, elegerunt, sperantes nimirum sibi propitium fore Sanctorum patrocinium, si prope illorum tumulos componerentur, suaque ossa ossibus venerandis Martyrum quædamtenus copularentur, quæ praxis paulatim in moribus fidelium prævaluit. « Ideo, aiebat sanctus Maximus Taurinensis, « a majoribus provisum est ut Sanctorum ossibus nostra corpora « sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum « caligo defugiat. Cum sanctis Martyribus quiescentes, evadimus « inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii « sanctitate. » (Sermo 55.) Sanctus ipse Ambrosius sibi sepulchrum in basilica Mediolanensi sub altari destinaverat, ubi deinde sanctorum Gervasii et Protasii corpora locavit. « Hunc « ego, inquit, locum mihi prædestinaveram, dignum est enim « ut ibi requiescat sacerdos ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris « victimis dexteram portionem. » Plura sunt ejusdem traditionis monumenta quam memorare voluimus, ut videatur praxim subsequentium sæculorum, et morem quem hactenus, quoad fieri potest, nostris Antistitibus gerimus, eorum corpora in cryptis Ecclesiæ componendo, sua initia in primæva ætate habuisse. Devenimus ad quæstiones canonicas de cæmeterio et de sepulturis.

567. — I^o *Utrum cæmeteria benedici debeant, quibus actibus polluantur, et quid jure præscribatur si polluta sint?*

I. Cæmeterium, ut corporibus fidelium humanis deserviat, prius in locum religiosum ab Episcopo, aut presbytero quem Episcopus deputaverit, ritu solemniter sanctificandum est. Ita præscribunt omnia ritualia, maxime Rituale Romanum, ad normam juris veteris quod constanti traditione observatum est, ex quo ipsæ Ecclesiæ benedici et consecrari cœperunt.

Cœmeterium habetur veluti appendix Ecclesiarum, et quod fieri prohibetur in Ecclesia ob sanctitatem loci, vetitum eodem jure supponunt in cœmeteriis (cap. *Decet.* 2, DE IMMUNITATE ECCL. in VI^o); iisdem privilegiis, immunitate et jure asyli, fruuntur.

Vi hujus benedictionis, cœmeteria fiunt loca sacra: fideles quorum corpora ibi tumulantur participes sunt precum et suffragiorum Ecclesiæ catholicæ: idcirco cavetur communiter, ut in eadem civitate sint duo, aut plura cœmeteria quorum alterum deserviat sepulturæ infidelium; vel saltem pars aliqua cœmeterii muro, fossa, aut sepe, separetur, quæ nulla benedictione consecratur⁴.

II. Cœmeteria iisdem actibus polluuntur quibus pollui diximus Ecclesiam; quinimo ex pollutione Ecclesiæ sequi pollutionem cœmeterii si ei contiguum sit, statuitur in cap. *Si Ecclesiam*, DE CONSECRATIONE, in VI^o; ubi additur: « Non sic quoque « in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cœmeterio, « quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta; « ne minus dignum, majus, aut accessorium, principale ad se « trahere videatur. » Polluitur igitur cœmeterium: 1^o homicidio, et effusione graviter injuriosa sanguinis humani; 2^o peccato exterius consummato contra castitatem, et quod publicum devenit, seu notorium; 3^o inhumatione infidelis, vel excommunicati devitandi.

III. Si contigerit pollui cœmeterium, « antequam reconciliatum fuerit, non debet aliquis in eo sepeliri. » (Cap. *Si Ecclesiam* mox citatum.) Reconciliatio fit ab Episcopo, vel presbytero cui id munus delegatione episcopali demandatum est, servato ritu præfinito. Innocentius III præscripsit, ut si

⁴ Parisiis cœmeteria urbi adjacentia, quæ ad sepulturam quorumcumque civium destinata sunt, carent benedictione. Attamen, cum omnis christianus in communione fidelium defunctus, debeat in cœmeterio benedicto sepeliri, sacerdos qui alicujus defuncti corpus ad sepulturam comitatur, ut exsequias ei rite solvat, fossam illi destinatam benedicere non omittit, antequam humo mandetur cadaver. (Rituale Paris. *de Exsequiis*.)

corpora excommunicatorum per violentiam aliquorum, vel alio casu, in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, exhumentur, si ab aliorum corporibus discerni possint, et procul ab ecclesiastica sepultura reponantur. « Quod si, inquit, discerni non « poterunt, expedire non credimus ut cum excommunicatorum « ossibus corpora extumentur fidelium. » Cap. *Sacris*, 12, DE SEPULTURIS. Cum tamen facile non possit alio transferri cœmeterium, fit reconciliatio loci, et, ritu hujus reconciliationis semel peracto, nihil obstat quominus inserviat sepulturis fidelium.

Si polluto cœmeterio, urgeat necessitas inhumandi corpora defunctorum antequam reconciliari potuerit, nullusque sit alius locus quo sepeliantur, componuntur in hoc cœmeterio; sed clerus illud non ingreditur, et idcirco abstinet ab explendo ritus consuetos inhumationis christianæ.

Nota. In Gallia legibus vetitum est sub gravioribus pœnis ne cadavera e tumulis extrahantur, non obtenta prius licentia ab officiali civili⁴.

568. — II^o *Ubinam fideles sepeliendi sint?*

Fideles jus habent eligendi locum suæ sepulturæ. Leo papa III, in cap. *Nos instituta*, 1, DE SEPULTURIS, statuit: « Nulli ne « gamus propriam eligere sepulturam, et etiam alienam... sed « quia dignum est operarius mercede sua, tertiam partem judicii « sui illi Ecclesiæ dare censemus, in qua cœlesti pabulo refici « consuevit... aliter ne fiat, auctoritate Domini, sub anathe- « matis vinculo detestamur et contradicimus. » Idem statutum confirmavit Bonifacius VIII, remotis quibusdam restrictionibus quas Decretalis *Fraternitatem* (cap. 3, DE SEPULTURIS) opposuisse videbatur; hæc enim adjecit: « Si quis... novam in « loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujus-

⁴ Cf. *Journal des fabriques*, tom. III, pag. 357 et 358. Auctoritas civilis obsecundata est haud semel petitioni pastorum, ut e cœmeterio catholicorum extraheretur cadaver hæretici notorii, quod ibidem præter fas conditum fuerat.

« modi, licet jura super hoc videantur esse diversa, nequaquam volumus impugnari. » Cap. *Cum quis*, 2, DE SEPULTURIS, in 11^o. Potest igitur fidelis terram sui domini privati, pro loco sepulturæ sibi destinare, modo tamen locus benedicatur.

Caput juris *Nos instituta* indixit tribuendam esse parochiæ tertiam partem funeralium, quando defunctus alio sepelitur : hæc est pars quam *portionem canonicam* dicunt, et quæ deinceps *quarta funeralium* dicta fuit, quando eam ad quartam partem consuetudo reduxit. (Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. XIII.) Rem sic canonistæ interpretabantur, ut tribui deberet parochiæ quarta pars omnium fructuum qui ex funeralibus, die fune- ris, imo intra triginta dies, obveniebant Ecclesiæ in qua defunctus suam sepulturam elegerat. Hæc ipsa quarta pars imminuta etiam fuit consuetudinibus locorum¹; nec hodie alia regula statuenda videtur quam ea quæ locorum statutis aut praxi præfixa sit.

Hæc igitur notanda in praxi :

1^o Unicuique jus concessum est eligendi locum suæ sepulturæ, et si obierit, non facta electione, arbitrio familiæ relinquitur ut ipsa locum determinet quem sibi opportunum judicaverit. Defunctus sepelietur in sepulchro majorum, vel in cœmeterio Ecclesiæ parochialis ubi suum domicilium habebat, vel in cœmeterio parochiæ ubi decessit, vel tandem in alium locum asportabitur, prout ipse adhuc vivens, vel eo mortuo, familia exposcerit.

2^o Communissima praxis est ut ritus ecclesiastici exsequiarum fiant in Ecclesia loci, et proinde a clero parochiæ ubi sepeliendus est defunctus. Porro, Parochus qui perfecit funus, honorarium pro exsequiis taxatum recipit integrum, et fabrica ejusdem parochiæ jus habet ad id omne quod ipsi ordinationibus diœcesanis assignatum est.

¹ « La quarte funéraire, ait Durand de Maillane, semble réduite, particulièrement en France, aux cierges et flambeaux des convois... » *Dictionnaire*, v^o *Quarte funéraire*.

3^o Mos est receptus in multis provinciis, et statutis plurium diœceseon retinendus mandatur, ut defunctus e domo in qua obiit non efferatur in locum quem suæ sepulturæ elegerit, nisi prius ad ecclesiam parochialem decessus delatus fuerit. Hæc praxis omnino consentanea est menti canonum, quando locus sepulturæ eligitur extra parochiam domicilii. Nihil vero fixum determinatur de honorario, seu stipendio persolvendo pro ista corporis præsentatione. Taxationibus diœcesis standum est.

4^o Quando corpus transfertur processionaliter per fines parochiæ intermediæ, ut perducatur in locum sepulturæ, clerus hujusce parochiæ, si, rogatus a familia, debeat quasdam cæremonias funerales agere, vel funus comitari, recipiet stipendia ex conducto, vel juxta diœcesis usum, determinata. Verum, ex jure communi, et nisi statuta locorum aliter præscriperint, Parochus non potest exigere ut sibi deferatur officium funera conducendi, per fines suæ parochiæ. Ita declaratum olim fuit a S. Congreg. Rituum, die 14 februarii, an. 1626 et communiter observatur. Quando in eadem civitate sunt plures parochiæ et unum cœmeterium omnibus commune, notum est singulos parochos suorum respective parochianorum defunctorum corpora comitari, ritu religioso, cum stola et cruce, per vias publicas ad cœmeterium, quin cæteri parochi, per quorum fines funus ducitur, jus prætendant. — De his minus accurate dixeramus in præcedentibus editionibus *Prælectionum*.

569. — III^o *Quibus deneganda sit sepultura ecclesiastica?*

Regula generalis est denegandam fore sepulturam ecclesiasticam excommunicatis denunciatis, et peccatoribus publicis qui nullum dederunt signum emendationis ante mortem. « Sacris canonibus est institutum ut quibus non communicavimus « vivis, non communicemus mortuis; et ut careant sepultura « ecclesiastica qui prius erant ab unitate Ecclesiæ præcisi, nec « in articulo mortis fuerint reconciliati. » (Cap. *Sacris*, 12, DE SEPULTURIS.) Hæc de excommunicatis denunciatis statuuntur: quoad peccatores publicos nulla censura denunciata notatos,

idem usu servatur, juxta regulas juris communis, et statuta diœcesana; non enim æquum censetur ut iis post obitum applicentur, ritu publico, suffragia Ecclesiæ, qui, dum viverent, privati sunt sacramentis.

Excluduntur proinde a sepultura christiana: 1° Pagani, Judæi, apostatæ a fide christiana, hærelîci et schismatici notorii; 2° qui sibi manus violentas intulerunt ob desperationem, aut iracundiam, nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint; non autem si per insaniam, quoquo modo sui impotes, seipsos occiderint; 3° duellistæ, de quibus dicemus in IVª parte, ubi de *delictis contra virtutem justitiæ*; 4° comœdi et histriones qui turpia representabant adeo ut pro peccatoribus publicis habiti sint, nec ullum signum conversionis dederunt ante mortem. Non excluduntur ratione excommunicationis, siquidem non sunt censuris ipso jure communi innodati, sed ratione status publice peccaminosi; qui enim sua arte abutuntur in perniciem morum christianorum, habendi sunt pro peccatoribus publicis. Concilium provinciæ Remensis, Suggestione habitum an. 1849, decrevit comœdos et actores scenicos qui impia vel obscena ludunt amovendos esse a communione eucharistica (tit. VII, cap. VI), unde sequitur excludendos pari jure a sepultura christiana; 5° qui in actu notorio et publico criminis defuncti sunt, nullo prævio signo pœnitentiæ; 6° qui palam et coram testibus respuunt scandalose sacramenta in ultimo morbo, et in peccato indurati moriuntur. Si non constet moribundum respuisse sacramenta, impietatis causa, vel ea secreto denegaverit, adeo ut nullum intercedat scandalum, satius erit dare sepulturam.

/// Ecclesia jus habet privandi sepultura christiana quos sua communione indignos judicaverit; hæc enim res suamet natura constituitur in ordine spirituali, nec afficit directe statum civilem defuncti... Suo tamen jure cum summa prudentia uti debent pastores, ne inducantur scandala multo graviora quam foret inhumatio peccatoris. Si res dubia sit, recurrendum est

ad Episcopum; si urgeat tempus, satius plerumque judicabitur sequi in dubio partem benigniorem.

570. — IV° *Quid jure præscriptum sit quoad ritus inhumationis ecclesiasticæ?*

Quæstionis solutionem remittimus ad scriptores liturgicos, qui regulas a Rituali præfinitas commentariis exposuerunt. Nonnulla solummodo notanda ducimus quæ propius ad jus canonicum referri nobis visa sunt.

1° Fieri non debet intra ritus sacros laudatio funebris a sacerdote, nisi indulerit Episcopus; hæc enim aliena sunt a regulis ecclesiasticis; 2° cadaver laici, cujuscumque dignitatis fuerit, non est deferendum a clericis; 3° insignia cujusvis societatis legibus ecclesiasticis proscripæ, v. g., liberorum muratorum (*les Francs-maçons*), nullo modo ponere licet in ornamentum feretri; 4° providendum ne quid desit ex ritibus solemnioribus de quibus, juxta statuta locorum, parochus cum familia defuncti convenit.

ARTICULUS III. — DE DOMINIO SACRARUM ÆDIUM ET CÆMETERIORUM¹.

571. — I° *Utrum Ecclesiæ et cæmeteria, in Galliis, pertineant ad parochias aut diœcesim, vel ad gubernium sæculare?*

I. Distinctione opus est, quoad Ecclesias, an municipia illas propriis sumptibus acquisierint a tempore concordati an. 1801, an vero nec ædificaverint, nec acquisierint.

1° Ædificia quæ gubernium civile aut civitas acquisivit, seu publicis sumptibus construxit, remanent sub jure et dominio potestatis sæcularis, si hoc dominium sibi retinere voluerit, quod reipsa intendit. Nihil repugnat quominus gubernium et muni-

¹ Cf. *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques*, auctore Affre, Arch. Parisiense.

cipia habeant dominium rei sacræ, eadem prorsus ratione qua laicus privatus retinere potest dominium calicis, oratorii, et rei cuiusvis benedictæ.

2° *Ædes sacræ et alia ædificia quæ ante concordatum sub jure et dominio Ecclesiæ erant, et cultui publico restituta fuerunt, remanent proprietates diœcesis si sint ædificia diœcesana, v. g. Ecclesia cathedralis et palatium Episcopi; vel parochiæ, si sint ædificia parochialia.*

Hæc assertio, etsi non placeat plerisque jurisperitis civilibus, certis nihilominus fundamentis nititur. Etenim, gubernium sæculare non potuit acquirere dominium harum sacrarum ædium, nisi vi concordati initi cum Sancta Sede; porro, concordatum nihil statuit de dominio horum ædificiorum. Articulus XIII statuit: « Eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisierunt, molestiam nullam habituros a Romanis Pontificibus, ac consequenter proprietates eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causas habentes. » Notare oportet 1° agi in hoc articulo de bonis alienatis; 2° alienationem sanciri in gratiam acquirentium et ab ipsis causam habentium; 3° rem ita componi « pro bono pacis, felicitate religionis restitutione. » Porro, ædificia, de quibus agimus, non erant alienata, sed tantummodo occupata, id est detenta absque ullo titulo proprietatis, a gubernio, quæ duo sunt valde diversa. Bonum pacis postulabat quidem ut consolidaretur legitimaque haberetur possessio quam tot cives inierant, diversis titulis, emptione, commutatione, hæreditaria successione, bonorum ecclesiasticorum a gubernio alienatorum; quid vero obstabat quin ipsum gubernium restitueret bona non alienata?

In contrarium objiciunt agendi rationem Pii VII, et ipsius gubernii civilis. Pius VII, inquit, epistolis ad Episcopum Pictaviensem directis, qui super hoc Sanctam Sedem consuluerat, declaravit, an. 1821, emptores qui acquisierant bona ecclesiastica, occupata quidem a gubernio ante concordatum, postea vero

alienata, posse ea retinere tanquam sua. Insuper gubernium retinuit, quin Sancta Sedes reclamaverit, plures Ecclesias, aliasque ædes sacras, quas tunc temporis occupabat: nonne concludendum videtur hæc sub illius jure remansisse? Quoad ipsas Ecclesias quas necessarias reputavit cultui divino, illas remisit Episcopis ut iis uterentur; non vero dedit eo modo quo censerentur esse sub dominio diœcesis, seu parochiæ.

Ad solutionem difficultatis, animadvertere est 1° Pium VII non declarasse bona alienata a gubernio a tempore concordati, pertinere ad acquirentes vi concordati; potuit, attentis circumstantiis temporum, novas concessionem superaddere concessionibus antea factis; nihil vero dixit quod ad Ecclesias non alienatas referatur. 2° Nihil, aut parum referre ad quæstionem quod gubernium non omnia restituerit quæ tunc temporis occupabat, siquidem potissimum agimus de sacræ ædibus, cultui divino restitutis. Silentium SS. Pontificum adscribi debet prudentiæ, non assensui; aut si Sancta Sedes tacitum assensum præstiterit, ut potestas sæcularis retineret ædificia ab administrationibus publicis occupata, quæ non sine difficultate restituta fuissent, mens illius certe non fuit ut sacræ ædes cultui publico addictæ, remanerent in dominio gubernii¹.

His præmissis, dicimus Ecclesias cathedrales et parochiales, palatia episcopalia et domos presbyterales restituta, pertinere ad diœceses et ad parochias; res enim adhuc manent, sub eo res-

¹ On ne peut pas, ait D. Affre, opposer des lois et des décrets dans lesquels il n'est question que de remise, et non de restitution, à une époque où les établissements ecclésiastiques, n'étant pas constitués, ne pouvaient par là même former, aux yeux de la loi civile, une personne morale capable de propriété. Pendant cette période de temps, les édifices et les biens rendus sont affectés à perpétuité à un service religieux; la nature de ce service est déterminée; l'État se dessaisit de ces immeubles; il renonce à tout jamais à les reprendre, et à les détourner de leur sainte destination. Ils font, dans cette même pensée, partie du domaine public, mais ils ne font plus partie du domaine de l'État. Aussitôt que les lois ont constitué les établissements ecclésiastiques, le langage change: les biens et les édifices ne sont pas seulement remis, ils sont restitués. » *De la Propriété, etc., pag. 103-250.*

pectu, in statu quo fuerunt tempore concordati. Invocari non potest præscriptio diuturna contra Ecclesiam, quæ reclamare utiliter non potuit. — Gubernium et municipia concurrunt quidem, sumptibus æris publici, ad reparationes ædificiorum, sed nihil inde contra nostram sententiam, nam: 1° gubernium, seu municipium, non concurrat nisi quatenus Ecclesiæ destituuntur redditibus ad id necessariis; 2° æquum omnino est ut gubernium et municipia opem conferant in conservationem templorum quibus utuntur plerique cives, cives nimirum catholici; 3° hac contributione aliqualis indemnitas præstatur Ecclesiæ, quæ injuste olim spoliata a gubernio suis bonis temporalibus, non habet unde providere sufficienter valeat instaurationi suarum ædium, cæterisque necessitatibus cultus publici.

II. Quæ de dominio Ecclesiarum diximus, jure applicari possunt cæmeteriis earundem Ecclesiarum contiguis quæ ante concordatum erecta erant, et cæmeteriis quæ a tempore concordati acquisita fuissent oblationibus fidelium, vel fabricarum parochialium impensis. Sed hæc cæmeteria pauca admodum sunt; difficulter obtinetur a gubernio approbatio donationis qua disponderetur de loco ea conditione ut formetur cæmeterium, sub jure et dominio parochiæ. Eo conspirant opinio generalis, agendi ratio magistratuum, et placita regiminis publici, ut cæmeteria pertineant ad municipia, officiumque providendi sepulturæ civium incumbat soli magistratui civili¹.

572. — II^o *Quæ sint consecratoria practica juris domini in sacras ædes et cæmeteria?*

I. Dominium plenum includit jus administrandi, utendi exclusive, et disponendi; quapropter hæc tria in hærent, et quidem jure proprio, parochiæ quæ habet dominium suæ Ecclesiæ. Habet utique parochus administrationem Ecclesiæ, cum jure exclusivè illa utendi, sive quoad cæremonias sacras, sive quoad pro-

¹ Cf. *Journal des fabriques*, tom. II, pag. 177.

ventus temporales. Impedire potest et debet ne inserviat usibus profanis, vel cæremoniis religiosis cultus acatholici: percipit cunctos redditus ex locatione sedilium, vel alio titulo, ex eleemosynis et oblationibus provenientes, servatis tamen regulis in sectione subsequenti præfinitis. Habet præterea jus de eadem Ecclesia disponendi, observando leges canonicas de alienatione honorum ecclesiasticorum. Si sacrum ædificium casu destruat, parochia dominium retinet loci in quo situm erat, et lapidum, cæmentorum, lignorum..., uno verbo materiæ.

Quando parochia non habet dominium Ecclesiæ, habet nihilominus, ex contractu implicite imito Episcopum inter et gubernium civile seu municipium, administrationem et usumfructum plenum. Gubernium civile, seu communitas civilis comitiis municipalibus suoque magistratu representata, eo ipso quod Ecclesiam suis sumptibus ædificatam et ornatam tradidit Episcopo, ut divino cultui inserviat, abdicavit dominium utile, administrationem scilicet et usum ædificii, retento solummodo dominio nudo; non potest proinde eo uti, sive pro cultu alieno sectæ cujusvis, sive pro celebrandis comitiis sæcularibus, quia hæc de decent sanctitatem loci sacris ritibus Deo dicati, et Episcopus ea conditione suscepit ædificium sacro cultui dicandum. Est igitur contractus, vi cujus Episcopus spondet templum adhibendum fore, ad præscriptum sanctionum canonicarum, ut inserviat catholicis; et vicissim magistratus, vices gerens civitatis, promittit se nihil acturum, nec postulaturum, quod sit contrarium destinationi ædis sacræ.

II. Quod ad cæmeterium attinet, ratio habenda est usus spiritualis et proventuum temporalium.

1° Parochia habet usum spiritualem exclusivum cæmeterii ad sepeliendum corpora fidelium, qui in communione Ecclesiæ catholice defuncti sunt, si locus sit sub illius dominio; si vero proprietas loci jure pertineat ad communitatem civilem, potest solummodo postulare ut pars reservetur pro sepultura

fideliū; et, si nec pars illa ipsi assignetur, locum saltem benedicat quo tumulatur corpus defuncti.

2° Proventus temporales cœmeterii, qui scilicet oriuntur ex plantis et arboribus quæ, aut sponte nascuntur, aut labore hominum conseruntur, et ex concessione tumuli in perpetuum aut in præfinitum tempus, lege naturali adscribuntur domino fundi. Citantur in contrarium litteræ quas, anno 1854, cultuum administrator civilis direxit ad præfectum districtus Garumnæ: verum hæc prævalere nequeunt contra regulam generalem jure naturali innixam; rationi enim maxime consonat ut *res fructificet domino*. « Celui qui a la propriété d'un terrain, ait re-
« cens scriptor, peut seul y faire des concessions, car c'est un
« démembrement et un produit de la propriété: supposer la
« fabrique propriétaire, et accorder à la commune la faculté
« de disposer, c'est admettre les idées les plus inconciliables¹. »

Nota 1° Lex civilis Galliarum tribuit fabricæ parochiali herbas, fructus, et ramos arborum quæ sponte nascuntur in cœmeterio, absque cultura hominis: alii omnes proventus adscribuntur municipiis, quoties, prout communiter constituitur, dominium cœmeterii pertinet ad communitatem civilem².

2° Quando alter eligitur locus sepulchris, priore derelicto, cœmeterium remanet sub jure proprietarii, communitatis nempe civilis, aut parochiæ, ex dictis supra. Proprietarius loci potest terram excolere, arbores plantare, transactis quinque annis; sed vetitum est ne terra in altum fodiat, aut ibi exstruatur ædificium, donec facultas id exsequendi concessa sit ab auctoritate superiori.

In illa cœmeteriorum mutatione, meminisse debent christiani loca humandis corporibus fidelium fuisse sacerdotali benedic-

¹ Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, tom. II, n° 745. — Cf. *Journal des fabriques*, tom. II, pag. 182; tom. VII, pag. 569; tom. VIII, pag. 572; tom. X, p. 561.

Art. 56 legis an. 1809. Cf. *Code des fabriques* (auct. de Champeaux), t. I, p. 184, du *Produit spontané des Cimetières*.

tione consecrata, et ipsos corporum cineres venerandos esse, quos utique, ut pie præsumimus, sanctus Spiritus suscitabit in die resurrectionis generalis, ad gloriam sempiternam. Valde quidem optandum ut loca sacris ritibus benedicta non convertantur deinceps in usus humanos, quod olim apud ipsos ethnicos uti sacrilegium habebatur, unde in codice Theodosiano, lege *de Sepulchris violatis*, dictum est: « Pergit audacia ad busta diem
« functorum et aggeres consecratos: cum et lapidem hinc mo-
« vere, et terram sollicitare et cespitem vellere, proximum sa-
« crilegio majores semper habuerunt. » Verum, si urgeat necessitas locum deserendi et, tempore præfixo, velint illum excolere, id saltem fieri nequaquam debet antequam collecta sint, et cum honore ac cultu christiano alibi translata, ossa defunctorum, quæ pietate et quodam cultu honestare a sanctis Patrum traditionibus edocti sumus.